



BALLERINI

THEOLOGIAE MORALIS

TOMUS I.

BX1758

G8

v. 1

1894





EX LIBRIS  
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ  
Episcopi Leonensis



1080016037

COMPENDIUM  
THEOLOGIAE MORALIS

P. IOANNIS PETRI GURY S. I.

AB AUCTORE RECOGNITUM

ET

ANTONII BALLERINI

EIUSDEM SOCIETATIS

IN COLLEGIO ROMANO PROFESSORIS

ADNOTATIONIBUS LOCUPLETATUM

EDITIO DUODECIMA

NOVIS CURIS EXPOLITA

A DOMINICO PALMIERI E. S.

TOMUS PRIMUS

PRATI

EX OFFICINA LIBRARIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

1894



*Capilla Alfonsina  
Biblioteca Universitaria*

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON  
Biblioteca Valverde y Tellez



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

45044

BX 1758

G8

V. 1

1894

*Quae iura a lege sunt, editores sibi reservant.*

Cum opus, cui titulus est *Compendium Theologiae moralis P. Ioannis Petri Gury S. I. ab Auctore recognitum et Antonii Ballerini eiusdem Societatis in Collegio romano Professoris adnotationibus locupletatum* novisque curis expolitum aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae, 2 Febr. 1894.

EMMANUEL DE CARO Praep. L. R. Soc. Iesu.



Capilla Alfonso  
Biblioteca Universitaria

IMPRIMATUR

13 Giugno 1894 — Can. Arcid. G. GORI, Vic. Gen.



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

## PRAEFATIO EDITORIS

Cum Theol. Mor. Compendium a p. Ioanne Petro Gury olim conditum et a p. Antonio Ballerini iamdudum adnotationibus locupletatum, a pluribus (quod in tanta multitudine compendiorum forte mireris) etiamnum expetatur, visum est, e re esse, si nova editio pararetur, non prioribus tamen editionibus prorsus similis, sed paulisper immutata. Nempe integrum quidem nobis esse non duximus, textum Guryanum quomodocumque attingere: at licuit ad notas eidem subiectas vel subiiciendas animum et curam convertere. Et primo quidem sublatis iis, quae speciem concertationis haberent, quaeque necessaria olim pro iusta defensione, nunc, ea peracta, parum utilitatis afferre viderentur, doctrinae tantum capita illis adnotationibus contenta, servanda censuimus. Tum producenda fuerunt si qua nostris hisce diebus e RR. CC. vel ab ipsa S. Sede prodierunt responsa et decreta, ut ad ea, si quid abesset, doctrina Auctoris atque Adnotatoris revocaretur, aut uberius confirmaretur. Tandem, quandoquidem Gury soleat non raro Codicis Gallici scita et iussa referre, aequi bonique consulturos speravimus lectores, si nos pariter Codicis

008395

Italici, qui ab illo identidem differt et quo (iure an iniuria nihil refert) nunc utimur, respondentia placita, in commodum italorum, brevibus appositis notis subiiceremus. Porro notas huius editionis, ut a Ballerinianis secernantur, asterisco uno vel pluribus indicavimus.

Nostrum qualemcumque laborem benevolo animo lector excipiat, ne ex Compendio factum dispendium videatur.

Romae 2 Febr. 1894.

## PRAEFATIO P. GURY

AD LECTOREM

---

Habes, humanissime Lector, in hoc exiguo libello brevem illam quidem, at integram, nisi fallor, rei moralis theologicae tractationem, ex probatissimorum Doctorum tum veterum, tum recentiorum doctrina concinnatam. Cum autem ex supremo S. Sedis iudicio praeclaram huic scientiae lucem proxima hac aetate affuderit S. ALPHONSUS DE LIGORIO, nil potius certiusque visum mihi est, quam ut egregium hunc ducem sequerer, eiusque doctrinam nova quadam forma ac ordine digestam exhiberem.

Quoad methodum vero, quae planior visa est, hanc libentissime secutus sum. Itaque in ipsis cuiusvis tractationis exordiis rei definitionem ac circumscriptionem habebis; utque ea accuratissima esset ac bene in rem quadraret, omnem operam collocavi. Hinc varias reperies subiectae materiae divisiones, seu diversas veluti facies, quas variis ex partibus spectata res offert. Re ita in medio constituta, gradus fiet ad principia, quibus tanquam totidem cardinibus tota versatur quaestionum solutio. Haec non multa quidem erunt; sed ea tamen, quae totam in se vim contineant, quaeque a gravioribus Theologis prolata, communi suffragio sanciri meruerint. His constitutis, facilis erit et disputatio, et ad consecutaria descensus, id est ad solutionem quaestionum, qui in re morali finis immediatus est. At quoniam in hisce disciplinis vix ullum

reperias argumentum, in quo vel ipsi inter se Doctores consentientes sint, locus erit opportunus controversiis dirimendis, quod ad modum quaestionum praestabo, oppositas inter se sententias committens, quamque praestabiliorem aut vere probabilem arbitror, subindicans. Haec via, hic ordo totius propemodum tractationis. Desiderabis aliquando uberiores rationum copiam, maiorem auctoritatum numerum, pleniores etiam alicubi explicationem. Tunc vero non abs re fuerit meminisse, hoc nil aliud quam *Compendium* esse, in quo si quid desit ex iis quae suis rem numeris absolutam redderent, desiderabitur profecto illud, quod Compendio deesse omnino debet.

Ad scribendi rationem quod attinet, in ea brevitatem pro rerum natura invenies, siccitatem non raro procul dubio reprehendes. Ad brevitatem quod spectat, ut huiusmodi opus postulabat, eam quam maxime consecutus sum: ita tamen ut ne, dum *brevis esse laboro, obscurus fiam*. Itaque, nec vi verborum obrueris, nec in tenebris unquam, ut spero, versaberis. Ad siccitatem vero quod pertinet, illud mihi semper certum persuasumque fuit, lepores veneresque dictionum ab hisce rebus esse vehementer alienas. Igitur dummodo res perspicua sit, etsi minus venusta ac compta appareat, non admodum sollicitus sum. Clavem thesauro huius scientiae recludendo parrem tibi praebere mens mea est. At tua, inquires, clavis ferrea est. Esto; modo aperiat, satis erit. Experire usum, et si thesaurum moralium disciplinarum reserare valeat, nihil aliud mihi in votis est. Amplam laboris mei mercedem recipiam, si hoc Opusculum in maiorem Dei gloriam, tuamque utilitatem cedat. Unum restat, ut te orem, humanissime Lector, benevolo sis animo; et si quando venia aliqua danda sit, benignus impertiaris rogo. Vale.

## INDEX SCRIPTORUM

Scriptorum de re morali catalogum aliquem potiusquam a P. Gury, qui ad calcem alterius voluminis paucos quosdam tantum recensuerat, visum est sumere fere ab Introductione, quam ratisbonensi ann. 1846. editioni moralis Theologiae S. Alphonsi P. Michael Haringer Congr. SS. Redemptoris sacerdos, et egregius Theologiae moralis professor praemisit. Non solum enim uberior hic est, sed indolem quoque Scriptorum ope quorundam signorum indicat; quod sane peropportunum atque utilissimum huius disciplinae studiosis, praesertim tironibus accidit. Auctorum autem nomini subinde titulos Operum, et nonnullos quoque scriptores addere placuit. Quae quidem diversis characteribus, quos vocare solent italicos, expressa reperies.

Catalogo suo P. Haringer hoc praefixit monitum: *Ne lector sola nomina habeat, sed etiam de ipsorum meritis et auctoritate iudicare possit, semper, ubi apud S. Alphonsum iudicium de illis invenimus, hoc adiectis signis notavimus: quare advertendum, quod per asteriscum \* notatur auctor propter scientiam laudatus saltem ut doctus, vel etiam ut gravis et classicus; per duo asterisca \*\* signatur auctor gravis et probabilista: per signum † notatur doctor gravis probabiliorista, per †\* vero auctor rigidus; mitiores semper specialiter nominantur.*

### A

- \***Abbas** (Nicolaus de Tudeschis) Benedictinus, Abbas Monacensis, Archiepiscopus *Panormitanus*, quo utroque nomine citatur (*Scriptis Commentaria in libros Decretalium, Consilia, Quaestiones, Practica*), natus 1370, mortuus est 1443.
- \*\***Abelly** Ludovicus Gallus, episc. Ruthenensis et familiaris S. Vincentii a Paulo, cuius vitam conscripsit (*Medulla Theologica*), n. 1604, m. 1691.
- \*\***Adrianus VI.** Papa, Belga, scripsit antea varias epistolas in quartum sententiarum, m. 1523.
- Aegidius** Romanus ex ordine S. Augustini, Doctor fundatissimus S. Thomae discipulus, m. 1316.
- Albertus** Magnus Germanus (*ex Ordine S. Dominici, Arch. Ratisbonensis, S. Thomae Praeceptor*), n. 1193, m. 1280.
- Albitius** Franciscus Italus, Card. (*De inconstantia in Fide, de inconstantia in Iudiciis, de Iurisdictione Cardinalium in suis titulis*), n. 1623, m. 1684.

- Aiensis** sive Alex. de Ales, Anglus, ord. S. Francisci (*S. Thomae, S. Bonaventurae, et Scoti praceptor; hinc dictus Doctor Doctorum*), m. 1243.
- \*\***Alyarez** Didacus Hisp., Dominicanus, professor theologiae in patria, tum Romae, postea archiepisc. Tranensis, vir celeberrimus (ait S. Alph.) propter disputationes ab illo propugnatas pro gratia praedeterminante, m. 1640.
- \*\***Amicus** Franciscus, Italus S. I., docuit Neapoli, Aquileiae et Graecii theologiam, ibique cancellarius universitatis factus est, m. 1651.
- \*\***Amort** Eusebius Germanus, Canonice regularis Pollingae et S. Ioannis Lateranensis, theologus episc. Augustani, a S. Alphonso saepius laudatus ut vir pro suis variis et doctis operibus undequaque perspectus. Suam theol. moralem et scholasticam non nisi prius a Benedicto XIV. recognitam typis mandavit. Egrege defendit probabilismum, sed in quaestionibus practiceis multo severior quam S. Alphonsus extitit, n. 1692, m. 1775.
- Anacletus.** Vide Reiffenstuel.